

Ille sacras quanto defendit pectore Musas,
Rursus ab his tanto munere dignus erit.
Solus is Aōnij nunc est reparator honoris,
Dignus ut antiquos clareat inter auos.
Quam multa virides ornantur arundine fossæ,
Florida quam multo germinat Hybla thymo.
Rorida quam multas uox stillat ab æthere guttas,
Dum regit opposito cardine Phœbus equos.
Ille tot Aonia pro libertate labores,
Sustinet ò animi magna gerentis opus.
Hic tibi iam magnus præsens applaudit E D E R V S
Maxima Iuridicæ lausq; decusq; scholæ.
Teq; nouo gaudet studiosa corona Poëta,
Et cupido laurum prædicat ore tuam.
Gratulor ergo tibi merito doctissime vates,
Gratatur nitido Phœbus in orbe tibi.
Istri colæ alterno gratantur carmine Musæ,
Cumq; neget tempus dicere plura vetant.

CARMEN SCR

PTVM ET RECITATVM

à Vito Jacobæo No-
riburgensi.

CVm sit Apollineis laurus sacrata Poëtis,
Heroum qui facta canant, victuraq; pangant
G iii Carmina

Carmina, perpetuos quæ nescia mortis in annos
Cum lauro vireant, atq; inter funera uiuant.
Laurea fatidicis debetur iure Poëtis
Qui, sua dum roti commendant nomina mundo,
Ex osi tenebras sub aperta luce morantur.
Ergo nouenarum cum sis Eccarde sororum
Gloria, Pegasei custos & fontis alumnus,
En tua cinguntur Peneide tempora lauro.
Et merito patriæ tibi nomine gratulor, ambos
Quæ nos Musarum studijs addixit honestis,
Nosq; suas uoluit Musis extendere laudes.
O deus eximum supra laude uehendum,
Quando Magistratus ope defenduntur, & artes
Ingenuæ crescunt, neq; uulgo ludibrio sunt.
Onimium felix respublica tanta, Senatus
Cuius agit curam, crescant ut Apollinis artes,
Plantat, alit, miseris & recta dat hospita Musis,
Atq; ope Musarum caput inter sidera condit.
Exulibus quoties studijs succurrere uisa est,
Vndiq; dum doctos homines collegit, & inter
Arma, suas fouit summa cum laude camænas,
Et doctis uoluit se commendare Poëtis,
Fex idiotarum quas aspernatur, & artes
Pro nihilo ducit, contemnit, & insuper audet
Viq; dolo, per fasq; nefas euertere Musas.
Vrbs ea tam spretas defendit, & asserit artes.

Et

Est ideo doctis E O B A N I versibus H E S S I
Illustrata satis, tanto nec honore carebit
Dum sua latiuago dederit sol lumina mundo.
Gratulor hinc igitur, quod te sit adepta Poëtam,
Cuius Apollineo coma sit circundata seruo,
In patriæ fundas ut digna Poemata laudem.
Et tibi præcipue communi nomine Rector
Gratulor, insignis tua quod prudentia leges
Musarum reuocet, quæ iura q; pressa iacent ui.
Primus es, imperio sub cuius laurea dentur
Nomine Cæsareo diuinis ferta poëtis.
Te penes est nostri custodia tota Lycæi,
Hac neq; diminui pateris, quin insuper auges,
Atq; agis excubias, ne forte prematur ab ullis,
Et curas sit ut hæc Academia clara Poëtis.
Est tua Mœonio dignissima carmine virtus,
Et maiora meæ dederint si tempora uitæ
Quæ sua lanificæ dispensant fata Sorores:
Maior et extensis ætas accreuerit annis.
Et mihi maiores fuerint in carmine vires.
Te celebrabo meis ita Doctor E D E R E camoenis
Ut tua carminibus uiuat post funera virtus.
Et scio quod mea sit tibi grata futura voluntas,
Interea totum tibi me commendando clientem,
Et rogo ne meritos hos auerseris honores.

GRATI-